



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. Vtrum gratia sit aliquid intrinsecum in anima?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

80th, quæ (ut bellè ait Augustinus) conversâ est in statum salis, ut fateor suo condiret exemplo, Denique huic prudenti D. Bernardi consilio morem gere: Tene quod tenes, hostiæque eandem iunge capiti, & tunicam de gratiâ iam polimitam, cura facere & valere, quoniam cepisse nihil proderit, si quod abest, perseverare non contigerit. Sola enim perseverantia (ut supra ex Augustino vidimus) informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & ad portum ducit navigantem. Sola (addit Bernardus) æternitatis quandam speciem præ se fert: sola est cui æternitas redditur, & quæ æternitati hominem reddit.

DISPUTATIO II.

De essentia gratiæ.

Ad questionem 100. D. Thomæ.

Non agendum hic de essentia gratiæ actualis, quia ejus consideratio pertinet ad Tractatum de auxilijs, sed solum de essentia gratiæ habitualis, quæ est nobilissima species gratiæ, & gratiarum omnium fulgentissimum jubar, parensque omnium virtutum; cujus radijs cætera fulgent carismata, quæ fides nitet, spes erigitur scientia, prophetia, & alia gratia gratis data splendent, ipsaque charitas ignescit ac fervet. Illa est, cujus lumine illustramur, cuius mundicie à peccatorum fecibus purgamur, cujus candore dealbamur, cujus pigmentis venustamur, cujus sanctitate sacerdotes Dei consecramur, cujus majestatem Reges æquamur, cujus semine Dei filij generamur, cujus denique virtute profus divina deificamur.

Porro quia accidens potissime cognoscitur ex genere & differentia quibus constat, & ex subiecto in quo residet; ex quo etiam quandoque ejus differentia sumitur, ideo D. Thomas quatuor articulis hanc questionem absolvit. In primo genus remotissimum gratiæ investigat; in secundo agit de genere proximo; in tertio differentialem ejus conceptum inquirat; & in quarto de ejus subiecto differat. Cui ordini inhaerentes, & hujus S. Doctoris vestigia temper sectantes, totidem in hac disputatione de gratia sanctificante dubia resolvemus.

ARTICULUS I.

Utrum gratia sit aliquid intrinsecum in anima?

Partem negativam tenent hæretici hujus temporis existimantes gratiam non esse aliquid nobis infusum, sive in nobis existens, sed solum intrinsecum favorem & benevolentiam Dei, per quam anima est ipsi grata, & ab eo dilecta. Ita Lutherus, Calvinus, Kemnitius, & alij, quos referunt Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 3. Decanus Lovanienſis art. 8. contra Lutherum, & Canſius lib. 5. de B. Virgine cap. 5. Adeundem errorem accessit Pighius, vir alioquin Catholicus: nam lib. 5. de gratia & libero arbitrio, sic ait: Imaginantur

A gratiam Dei, qualitatem aliquam creatam anima nostræ à Deo, vel eandem cum charitatis habitu, vel distinctam ab eodem: quæ commentitia univèrsa existimo. Ut hic error proscribatur, & veritas catholica stabilietur & explicetur.

Dico: gratia gratum faciens est donum aliquod homini intrinsecum, seu in nobis existens, non verò solum extrinsecum Dei favor, vel amor.

Probatum primò ex Scriptura: Dicitur enim 2. ad Corinth. 1. Signavit nos, & dedit nobis pignus spiritus in cordibus nostris. 1. Joan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Joan. 4. Qui bibet ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed pignus committum, sigillum impressum, semen insitum, aqua fons & corde scaturiens, quid reale & intrinsecè inhaerens aperte sonant: Ergo Scriptura his figuris, seu metaphoris manifestè declarat, gratiam gratum facientem esse donum aliquod homini intrinsecum, eique inhaerens. Item D. Joannes in 1. Epistola cap. 2. intimam & realem gratiæ justificantis in cordibus nostris præsentiam, sub unctionis metaphora significat, dicens: Unctio quam accepistis maneat in vobis; oleum enim secretiores corporum quibus infunditur partes attingit, penetrat, & pervadit, ac in eorum intima dilabitur & descendit. Denique Apostolus ad Romanos 5. dicit charitatem (quæ individua gratiæ comes est) diffundi in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: At quod effunditur in cordibus, illis infunditur, illis inhaeret: Ergo & gratia. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis & remiss. ait: Deus dat sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis. Ubi certè de gratia habituali loquitur, cum ad parvulos minimè spectet actualis.

Probatum secundò conclusio ex Tridentino sess. 6. can. 11. ubi sic habetur: Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, ATQUE ILLIS INHAEREAT; aut etiam gratiam quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Quæ verba exponens Catechismus Romanus jussu Pij V. editus, tractatu de sacram. Baptismi, sic ait: Est autem gratia (quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum sub pena anathematis decrevit) divina qualitas, in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiore reddat.

E Probatum tertio ratione D. Thomæ hic art. 1. quæ sic potest proponi. Hominem esse in gratia Dei, est illud esse à Deo dilectum, ut farentur hæretici: Sed hominem esse à Deo dilectum, importat aliquid ipsi intrinsecum: Ergo & esse ipsi gratum, seu gratiâ habituali prædictum. Minor probatur: cum amor sit affectio, quâ quis tendit in aliquod objectum propter ejus bonitatem, in hoc conveniunt amor divinus & humanus, quod aliquam bonitatem respiciant; differunt verò in eo quod amor humanus, cum sit sterilis & infirmus, nec sit effectivus, sed tantum affectivus, supponit in objecto bonitatem à qua afficitur

afficitur & attrahitur; amor autem Dei, cum sit affectuissimus & potentissimus, nec sit affectivus, sed effectivus, causat bonitatem in objecto quod diligit. Unde D. Bernardus in soliloquiis exponens discrimen inter amorem Dei erga nos, & amorem nostrum ad Deum, sic ait: Nos afficimur, tu effectum unum nos in te efficiens. Et cap. 4. de amore divino: Non afficeris a nobis, vel ad nos, cum amoris amoris a te, & in te, & ad te afficimur, cum amamus te. Et Divus Thomas 1. p. quest. 26. art. 2. dicit: Amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus. Sicut ergo Deus diligendo creaturas in ordine naturali, communicat eis perfectiones naturales, quibus sunt objectum congruum humani dilectionis, de qua dicitur Sapient. 1. 1. Dilige omnia que sunt, & nihil odisti eorum que fecisti: ita diligendo creaturam intellectualem in ordine ad finem supernaturalem, per talem dilectionem in ea causat aliquam bonitatem & perfectionem supernaturalem, quæ sit ratio formalis constituens illam in ratione objecti congrui & proportionati talis dilectionis: & hanc perfectionem dicimus esse gratiam gratum facientem, quæ reddit hominem Deo gratum & acceptum in ordine ad æternam felicitatem.

Obijciens primò: Prædestinatio includit specialem dilectionem Dei erga electos, iuxta illud Malach. 1. Jacob dilexi, & tamen non ponit iemper in eis aliquid reale & supernaturale, cum interdum contingat prædestinatos esse in statu peccati & inidelitatis, subindeque omnibus donis supernaturalibus spoliatos: Ergo falsum est, ex amore supernaturali Dei erga homines, debere causari in illis aliquid donum intrinsecum gratiæ supernaturalis: & sic ruit præcipuum fundamentum conclusionis nostræ.

Confirmatur: Odium Dei nihil ponit extrinsecum in homine quem odit, sed tantum facit quod sit extrinsecum objectum displicens illi, ut patet in pueris in limbo existentibus, quos odit Deus ut auctor supernaturalis, & tamen nihil ponit in illis: Ergo similiter Deus per suum amorē nihil intrinsecum ponit in homine, sed solum facit illi esse objectum extrinsecum suæ dilectionis.

Ad objectionem respondeo prædestinationem non includere dilectionem Dei efficacem pro omni tempore (sepe enim Deus prædestinatum existentem in peccato mortali, secundum præsentem iustitiam, simpliciter odit) sed solum pro aliquo tempore, quo statim prædestinato gratiam conferre; unde prædestinatio gratiam confert pro tempore à Deo statuto, non verò eo tempore quo ex decreto Dei non est efficax, sed suspendit effectum.

Ad confirmationem concessio Antecedente, nego consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est primò, quia homo potest ex propriis habere unde sit objectum odii Dei, nempe peccatum, non verò unde sit objectum amoris Dei supernaturalis, nimirum bonum, supernaturale; iuxta illud Augustini: Ignosce quod meum est, agnosce quod tuum est. Secundo, quia amor est actus prosecutionis, unde si non supponat bonum in objecto in quod tendit, debet illud ponere: odium verò est per modum fugæ & recessus, quare non pertinet ad illud, aliquid in objecto ponere, sed potius ab eo tollere.

Obijciens secundo: Ex amore, quo Deus assumptæ humanitatem Christi ad unionem hypostaticam, nihil supernaturale intrinsecum dimanavit ad ipsam humanitatem, ante unionem: Ergo

ex amore, quo Deus diligit hominem in ordine ad finem supernaturalem, non oportet derivari in ipsum aliquod donum intrinsecum & supernaturale, ante & præter consecutionem beatitudinis supernaturalis.

Confirmatur: Etsi amor Dei respectu beatitudinis debeat esse efficax, & causa rerum, poterit esse causa aliquorum auxiliorum vel donorum supernaturalium: Ergo ex illa ratione non sequitur gratiam habitualem debere poni intrinsece in homine.

Respondens ad objectionem, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia amor ad unionem hypostaticam est respectu existentie & personalitatis divinæ, quæ teste D. Thomæ 3. p. quest. 6. art. 6. ad 1. immediate unitur humanitati, siue aliqua dispositione prævia: amor verò in ordine ab beatitudine, est in ordine ad operationem, quæ ut sit perfecta & connaturalis, debet supponere gratiam, ut naturam cui sit connaturalis.

Adde quod humanitas Christi est sancta substantialiter; animæ verò iustorum accidentaliter tantum sanctæ sunt: potest verò intelligi aliquid esse sanctum substantialiter, absque forma intrinsece recepta, dum tamen sit ipsi intrinsece unita in ratione terminis, esse autem gratum accidentaliter, & cum sola tendentia ad unionem cum Deo per operationem, per indispensabilem gratiam creatam, & animæ inhaerentem, nec præstari potest à sanctitate increata; quia huiusmodi effectus requirit informationem, cum sit ad constituendum compositum accidentale, & non ad terminandum substantialiter in ratione exitendi vel subsistendi.

Ad confirmationem dicendum est, gratiam causari in homine ex amore supernaturali Dei, non quocumque & imperfecto, sed perfecto, quo vult illi visionem beatificam, & digno, ac suo hæreditatem talis amor, pro tempore quo est efficax, causat in homine gratiam, per quam participat naturam divinam, cui debetur beatitudo ut hæreditas. Unde triplex debet in Deo distinguī dilectio: una pure naturalis, quæ Deus diligit creaturas omnes in ordine naturali, iuxta illud Sapient. 1. Dilige omnia que sunt, & nihil odisti eorum que fecisti: alia supernaturalis imperfecta, quæ creatura rationalis dicitur à Deo dilecta secundum quid & inchoative, in ordine ad æternam felicitatem: altera denique perfecte supernaturalis, quæ homo simpliciter & perfecte diligitur à Deo in ordine ad æternam beatitudinem.

Per primam bona duntaxat naturalia, ut esse, vivere, & intelligere, creaturis communicantur: per secundam conferuntur homini fides, spes, & auxilia sufficientia, quæ possunt compati cum peccato mortali, & cum odio & inimicitia Dei: Ex tertia verò donum gratiæ sanctificantis promanat, quæ homo fit simpliciter Deo gratus & acceptus in ordine ad æternam beatitudinem.

Obijciens tertio: Amor divinus præsupponit bonum in homine quod sit motivum dilectionis Dei: Ergo ratio D. Thomæ falsum supponit, dum ait quod amor Dei causat in homine bonum, & non supponit illud. Consequentia patet: Antecedens probatur primò ex illo Isaia 43. Ex quo honorabilis factus es & gloriosus in oculis meis, ego dilexi te. Quod significatur dilectionem Dei non causasse, sed supposuisse quod homo fuerit honorabilis & gloriosus. Secundo probatur idem Antecedens. Deus amat hominem in ordine ad beatitudinem.

ordinem propter merita : Ergo amor divinus præsupponit, & non causat bonitatem meritum, sine quibus non daret gloriam. Probatur tertio. Objectum præintelligitur, & præsupponitur ad actum : Sed bonum quod relucet in creaturis, est objectum divini amoris : Ergo ad ipsum præintelligitur & præsupponitur.

13 Respondeo negando Antecedens : ad cuius primam probationem respondet D. Thomas ibidem, dilectionem Dei fecisse hominem gloriosum & honorabilem, & ita illam particulam, *Ex quo*, non significare causam, sed concomitantiam, vel signum dilectionis, & effectum illius.

14 Ad secundam probationem nego Antecedens : nam licet Deus in ordine executionis det gloriam propter merita, in ordine tanten intentionis, prius vult gloriam quam merita ; imò quia vult homini gloriam, dat ei merita quibus illam consequatur, juxta illud D. Prosperi 2. de vocat. Gentium cap. 35. *Deus his quos elegit sine meritis, dat unde ornantur ex meritis.* De quo plura diximus in Tractatu de prædestinatione.

Diff. 1.
art. 1.

15 Ad tertiam respondeo primò objectum præsupponi ad actum, quando ille est merè speculativus, secus verò si sit practicus, quia tunc est ejus effectus, & per consequens posterior illo. Unde scientia visionis in Deo, quia est eminenter speculativa & practica, non supponit suum objectum, sed illud facit : nec mensuratur à rebus, sed est illarum mensura, ut ostendimus in Tractatu de scientia Dei, & expressè docet Gregorius Magnus 20. Moral. cap. 23. his verbis : *Quæ sunt, non ab æternitate ejus idè videntur quia sunt, sed idè sunt, quia videntur.* Et lib. 32. cap. 6. *Non existentia videntur continet.* Idem cum probatione de amore Dei dicendum est, cum ille sit practicus & operativus, & ut loquitur S. Thomas supra relatus, sit *insundens & creans bonitatem in rebus.*

Diff. 3.
art. 2.

16 Respondeo secundò, objectum præsupponi ad actum, quando est primarium, & exercet causalitatem finis vel formæ respectu actus, ut contingit in objecto cognitionis aut volitionis creatæ ; secus verò si objectum sit tantum secundarium, & nullam circa actum causalitatem exerceat, ut contingit in objecto creato respectu scientiæ visionis Dei, & dilectionis ipsius.

17 Respondeo tertio, quòd sicut intellectio potest dupliciter spectari, scilicet ut productio veri bi (sub quo conceptu dicitur dictio) & prout est pura objecti contemplatio in ipso verbo ; ita amor Dei potest considerari ut est volitio efficax & practica sui objecti, & ut habet rationem dilectionis simplicis, sive complacentiæ. Unde sicut intellectio ut dictio est prior verbo ; posterior verò, est ut pura contemplatio objecti in verbo ; ita amor Dei, ut efficax & practicus, est prior bonitate quam communicat creaturæ ; si verò consideretur præcisè sub conceptu puræ dilectionis, sive complacentiæ, non est prior, imò sub hac ratione potest esse posterior, non quidem quoad entitatem, sed quoad suam determinationem.

ARTICULUS II.

Verum gratia sanctificans sit qualitas, & cuius speciei

18 Siander in sua harmonia Evangelica asserit gratiam sanctificantem esse potius substantiam, quam qualitatem. Fundamentum ejus est,

quia gratia (inquit) nihil aliud est quam justitia & sanctitas ipsius Dei, ut constituens hominem justum & sanctum, sicut lux solaris nihil est aliud præter præsentiam ipsam Solis supra horizontem, seu totum hemispherium : unde cum Dei sanctitas non sit accidens, sed substantia, etiam gratia per quam sanctificamur est substantia. In eandem sententiam, seu potius errorem declinare videtur Magister sententiarum in 1. dist. 17. ubi docet charitatem, quâ diligimus Deum, non esse aliud quàm ipsummet Spiritum sanctum, speciali & ineffabili modo voluntati nostræ unitum.

Verum hic error proscriptus est à Tridentino, loco supra adducto, ubi decernit causam formalem nostræ justificationis esse justitiam Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit ; additque eam nobis inhærere, quod de nulla substantia verificari potest. Adde quod Deus non potest uniri intrinsecè alicui, nisi ad modum speciei impressæ, vel per modum substantiæ & personalitatis ; alia enim genera unionum, cum importent informationem, non possunt ab imperfectione præcindi : Sed substantia divina non unitur animæ justæ in ratione speciei ; alias omnes justi viderent Deum ; neque in ratione substantiæ, cum illa subsistat per propriam personalitatem : Ergo gratia sanctificans non est ipsa Dei substantia, ut unita immediatè animæ, sed ali-quod accidens creatum in ea receptum, & ipsi inhærens. Unde solum restat discutiendum, ad quod prædicamentum illa pertineat, & cuius speciei sit : Pro cuius resolutione

Dico, gratiam sanctificantem esse qualitatem, non fluentem, sed permanentem, subindeque non esse dispositionem, sed habitum.

Prima pars patet ex dictis : Na supposito quod gratia sanctificans non sit substantia, sed accidens, non potest ad aliâ categoriam quam qualitatè pertinere : nò enim potest esse quantitas, cum hæc sit proprietas materiæ, & solis rebus corporeis conveniat ; neque relatio, cum hæc sit debilissima & minutissima entitatis, & magis ad aliquid, quàm *aliquid*, ut docent Philosophi ; neque actio aut passio, cum non sit fluens & transiens, sed habeat esse fixum in anima, ut statim dicemus ; nec denique potest pertinere ad aliquid ex sex ultimis prædicamentis, quia illa semper consequuntur res corporeas. Ergo solum potest in categoria qualitatis reponi. Unde Catechismus Romanus loco articulo præcedenti adducto ait : *Gratia est divina qualitas anime inherens.*

Quod verò sit permanens in anima, subindeque habitus, & nò dispositio, colligitur ex locis Scripturæ articulo præcedenti relatis, in quibus gratia vocatur *pignus signaculum, sponsa* ; quæ significant aliquid habituale & permanens. Itè 1. Joan. 3. dicitur : *Omnis qui ex Deo natus est, non peccat, quia semen Dei manet in illo.* Et Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Unde D. Gregorius homil. 5. in Ezechiel. rectè advertit, quod Spiritus sanctus in Scriptura mobilis simul dicitur & stabilis ; stabilis, quia in corda sanctorum per quasdam virtutes ita venit, ut permaneat, quales sunt fides, spes, charitas &c., mobilis verò, quia per alias virtutes ita venit, ut recedat, & non continuò sit in anima, cuiusmodi sunt prophetia, genera linguarum, operatio miraculorum, & omnia gratiæ actualis auxilia.

Potest etiam hæc pars ratione D. Thomæ suaderi. Deus non minùs provider hominibus quos diligit in ordine ad finem supernaturalem, quam creaturis